

163 nam solitum volvens ad tempus tractibus †Idae†  
immanis vario maculatus corpore serpens...

163 *idae* vel sim. libri: *isdem* Bembo

quandoquidem nullo de 'monte Idaeo' hoc loco agitur, coniectationem Petri Cardinalis Bembo, viri doctissimi, in textum fere recepere editores; forsitan recte. nihil autem est quod *idae* ut nomen proprium interpretari necesse sit. etenim Ἰδη eam vim in lingua Graeca saepe exhibet quam 'silvam', 'montem silvestrem' Latine reddas. Quae significatio in nostrum contextum verborum optime quadrat, ut ex versibus 45-48 comparet:

propulit e stabulis ad pabula laeta capellas  
pastor et *excelsi montis iuga summa* petivit,  
lurida quā patulos velabant gramina colles.  
*iam silvis dumisque vagae...*

eandem usurpationem vocis *ida* habes, L. B., in *Carm. Epigr.* 479. 4-5:

fata me rapuere mea  
et me iacio eidais (= Ἰδαῖς) ignotis.

quo de loco disputavit F. Buecheler, *Kl. Schr.* III. 373. quod superest, moris esse poetae qui *Culicem* condiderit ut saepe graecisset velim, L. B., recorderis. necnon fieri potest ut noster quosdam locos Homericos respexerit, quales sunt hi:

οἶω τώ γε λέοντε δύω ὄρεος κορυφῆσιν  
ἐτραφέτην ὑπὸ μητρὶ βαθείης τάρφεσιν ὕλης· (Il. 5. 554-5)  
οὐ μὲν γάρ τι φύγεσκε βαθείης βένθεσιν ὕλης  
κνώδαλον, ὅτι δίοιτο. (Od. 17. 316-7)